



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

2. Dies Maii. Avaro tantum de est quod habet, quantum quod non habet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**



## 2. DIES MAII.

Avaro tantum deest quod habet, quantum quod non habet. *Theophilus Alexand. Epist. 3. contra Origen.*

Avari ia. I. **V**itia ne studiosè sequamur, ut antè, acerbè persequimur. In illorum alphabeto, Avaritiorum est alpha. Quia porrò fluxa fortunæ boni acquirendi, nullus ei est finis, mala sibi parit infini. In diei hodiernæ tesseram, si digitum intendas, ad verborum sensum animum attendas, cognoscas Avarum habere nihil, etiam cùm habuerit omnia. Quod magis paradoxum? bona illi defunt dum ad sunt; caret, dum habet; eget, dum possidet. Inter omnia sua bona, nulli est bonus, sibi bonus. Ut jus tibi explorata sit conditio, non multis te obstruam, paucis instruam. Primum, cui nihil est, nihil quoque non turpe est. Quid turpius? Ne pluris ipsi est aurî sacra fames, quàm cura famæ. Quærens fœlicitatem, fit infœlix; desiderio fortunæ se reddit iufortunatûm: sæpè etenim necesse est alium timeat ferrum, dum congestum possidet aurum; ubi enim multæ divitiæ, ibi multæ, ut tollantur insidiæ. Dum possidet quæ cupit, ne quidem iam consecutus implet sua vota cupitis: sensum boni præsentis extinguit absens cupienti: hinc dum semper desiderat, nunquam gaudet: dum perpetuò concupiscit, nunquam conquiescit.

II. Habeat licet multa, imò plurima, ne dicat omnia



omnia, si desideret, quo caret, adhuc unum, non fœlix, sed miser erit. Quia plus animum punget unum quo caret, quàm oblectabunt omnia quæ habet. Cùm igitur satis sit illi ad decumanam miseriam, cupere, & cupiendi illi nulli sit finis, aut modus, necesse est, miser sit supra omnem modum. In summa igitur copia, gemina est avaro inopia. Eget quas cupit divitiis superfluis, & eget rebus quibus non utitur necessariis. Non modò aliis, sed & sibi detestabilis: nam avarus, nulli magis quàm sibi est avarus, nec in miseris, nullus minus, quem sui eum miseret, cùm sordidè splendidus vix congestis utitur. Quamvis omnis cupiditas sibi sit adversa, maximè tamen opum vota anxia sunt, quæstus vilis, possessio periculosa, usus imprudens, jactura impatiens. Divitiæ maximum infœlicitatis instrumentum. Quæ tamen propter fœlicitatem, per infœlicitates appetuntur. Hinc omnis avarus cum infœlicitate non tantùm habet commercium, sed contubernium: Miseria illi non tantum est proxima, sed intima.

III. Habendo ardor habendi acquiritur, non extinguitur. Auri custos, possessor argenti, quid habet nisi pervigiles noctes, anxios dies, sollicita tempora, trepida gaudia, inquieta desideria? semper in æstu, nunquam in potu, utpote qui metum semper, ut domesticum secum portat. Itaque dives est magis malis, aut malorum metu, quàm bonorum censu. Quid indignius, quàm unum hominem possidere multa, ex quibus possunt vivere multi? Væ illis, quia plagis vapulabit multis. Convertite oculos ad nostrum, quod totis averfatis oculis, sæculum. Illud undè tam ferum & ferreum, nisi ex cupiditate auri?

Tolle



Tolle aurum, nullum stringetur ferrum. Aperi divi-  
 rum thecas, & apothecas, & claudes Martis janua-  
 Imminue opulentis opes, & nullus per campum de-  
 bacchabitur miles. Sola ad bellum avaritia canit be-  
 licum. Nam propter pecuniam multi evomunt pur-  
 puream, sine purpura animam: multi aut jugulantur,  
 aut jugulantur. Hoc vitium facilius ab omnibus au-  
 guitur, quàm expellitur. Utinam tanto illud pro-  
 queremur odio, quantum meretur! Sed ne ego in-  
 lito penso desum, hoc adstruo theorema, quod canit  
 Poëta,

*Si studeas nummis, praefers mox infima summis.*

### 3. DIES MAII.

Tres cruces in uno loco erant: in una le-  
 tro liberandus, in altera latro damnandus,  
 in medio Christus, alterum libe-  
 raturus, alterum damnaturus. *S. Augustinus*  
*Epist. 48.*

**Crucis I.** **C**RUX hodie inventa debet no-  
 timor. bis esse fax, qua ardeamus  
 eam invenire. Quisquis optat  
 post nubila phœbum, post tenebras lucem; quærat  
 cum Helena crucem. Sed cum (uti monuit tessera)  
 sint ternæ cruces, rejicienda est illa, in qua me-  
 lus, eligenda altera, in qua bonus latro, sed &  
 præ eligenda etiam huic est ea, in qua pependit  
 medius, inter homines, ac Deum mediator. Hinc  
 anima medio tutissima pendet: ut libens sic pendeat